colligitur, quinquagies quater centena sexaginta duo milia. Quo palam fit, quātū & hinc vapor abstulerit, & illinc rigor. Neq; enim deesse arbitror terris, aut non esse globi forma, sed inhabitabilia vtrinq; incomperta esse. Hæc mensura currit à littore Aethiopici oceani, qua modo habitatur, ad Meroen D.L.M. Inde Alexādria duodecies cētena milia quinquaginta. Rhodū quingenta octogintatria. Gnidū octogintaquatuor milia quingenti. Con vigintiquinq; milia. Samū C. milia. Chium lxxxiiij. milia. Mitylenen lxv. milia. Tenedon xxviij. milia. Sigæum promontoriū xij. milia quingenti. Os Ponti cccxij. milia quingēti. Carambin promontorium cccl. Os Mæotidis cccxij. milia quingenti. Ostium Tanais cclxv. M. qui cursus compēdijs maris breuior fieri potest lxxxix. M. Ab ostio Tanais nihil modicum diligentißimi autores fecere. Artemidorus vlteriora incomperta existimauit, cum circa Tanaim Sarmatarum gentes degere fateretur ad septētriones versas. Isidorus adiecit XII. C. M. L. vsque ad Thulen, quæ coniectura diuinationis est. Ego non minore quàm proxime dicto spatio, Sarmatarū fines nosci intelligo: Et alioquin quantū esse debet, quod innumerabiles gentes subinde sedem mutātes capiat? Vnde vlteriorem mensurā inhabitabilis plagæ, multo esse maiorem arbitror. Nam & à Germania immensas insulas non pridem compertas, cognitū habeo. De longitudine ac latitudine hæc sunt, quæ digna memoratu putē. Vniuersum autē hunc circuitum Eratosthenes, in omnium quidem literarū subtilitate, & in hac vtiq; præter cæteros solers, quē cūctis probari video, ducētorū quinquagintaduorū miliū stadiū prodidit. Quæ mēsura Romana computatione efficit trecenties quindecies cētena milia paß. Improbū ausum: verū ita subtili cōputatione cōprehēsum, vt pudeat nō credere. Hipparchus & in coarguendo eo, & in reliqua omnia diligentia mirus, adijcit stadiorum paulo minus xxv. milia.

Harmoniaca mundi ratio. CAP. CIX.

ALia Dionysodoro fides: neq; enim subtraham exēplum vanitatis Græcæ maximū. * Melius hic fuit geometrica scientia nobilis. Senectam diem obijt in patria. Funus duxere ei propinquæ, ad quas pertinebat hæreditas. Eæ cū secutis diebus iusta peragerēt, inuenisse dicuntur in sepulchro epistolam, Dionysodori nomine ad superos scriptā. Peruenisse eū à sepulchro ad infimam terram: esseq; eo stadiorum quadragintaduo milia. Nec defuere geometræ, qui interpretarentur significare epistolam à medio terrarū orbe missam, quo deorsum ab summo longißimum esset spatium, & idem pilæ medium. Ex quo consecuta computatio est, ut circuitu esse ducenta quinquaginta quinq; milia stadia pronunciarēt. Harmoniaca ratio,

quæ cogit rerum naturam sibi ipsam cōgruere,
addit huic mensuræ stadia septem milia,
terramque nonagesimamsextam
millesimam totius mundi
partem facit.

* Cydnius

C. PLINII SECVNDI
NATVRALIS HISTORIAE LIBER III.

*

PROOEMIVM.

HACTENVS de situ & miraculis terræ, aquarumq; ac siderum, & ratione uniuersiatis atq; mensura. Nūc de partibus, quanquam infinitum id quoq; existimatur, nec temere sine aliqua reprehensione tractatum. Haud vllo in genere venia iustior est, si modo minime mirum est, hominem genitū non omnia humana nouisse. Quapropter autorē neminem vnum sequar, sed vt quenq; verißimum in quaq; parte arbitrabor. Quoniam cōmune fermè omnibus fuit, vt eos quisq; diligētißime situs disceret, ī quibus ipse prodebat, ideo nec culpabo aut coarguā quēquā. Locorū nuda nomina, & quāta dabitur breuitate ponentur, claritate causisq; dilatis in suas partes. Nunc enim sermo de toto est. Quare sic accipi velim, ut si uidua fama sua nomina, qualia fuere primordio ante vllas res gestas, nuncupentur, & sit quædā in his nomēclatura quidem, sed mūdi rerumq; naturæ. Terrarū orbis vniuersus in tres diuiditur partes, Europam, Asiā, Africā. Origo ab occasu solis & Gaditano freto, qua irrumpēs oceanus Atlāticus in maria interiora diffunditur. Hinc intranti dextra Africa est, læua Europa: inter has Asia est. Termini amnes, Tanais & Nilus. Quindecim M. paß. in longitudinem, quas diximus, fauces oceani patent, quinq; M. in latitudinem, à vico Mellaria Hispaniæ ad promontoriū Africæ Album, autore Turannio Gracula iuxta genito. T. Liuius ac nepos Cornelius latitudinis tradiderunt, vbi minimum vii. M. pass. vbi vero plurimum x. M. Tam modico ore, tam immensa æquorū vastitas panditur. Nec profunda altitudo miraculum minuit. Frequētes quippe tæniæ cādicātis vadi, carinas territāt. Qua de causa limen interni maris multi eum locū appellauere. Proxima autem faucibus vtrinq; impositi montes, coercent claustra, Abila, Africæ, Europæ Calpe, laborum Herculis metæ. Quam ob causam indigenæ colūnas eius dei vocāt, credūtq; perfossas excluſa antea admisisse maria, & rerū naturæ mutasse faciē.

De Europa. CAP. I.

PRimum ergo de Europa altrice victoris omniū gentiū populi, longeq; terrarum pulcherrima, quā pleriq; merito non tertiā portionē fecere, verum æquā in duas partes ab amne Tanai ad Gaditanū fretum vniuerso orbe diuiso. Oceanus hoc, quod dictum est, spatio Atlanticum mare infundēs, & auido meatu terras, quæcunq; venientē expauere, demergens, resistētes quoq; flexuoso littorū anfractu lābit, Europā vel maxime receßibus crebris excauans, sed in quatuor præcipue sinus: Quorū primus à Calpe Hispaniæ extimo (vt dictū est) monte, Locros & Brutiū vsq;

C. Plinii Secundi Naturalis Historiae..., p. 54 - Biblioteca de la Universidad de L